

Pannoniæ finibus Turcas aggredeleretur : eadem quoque Franciscus Galliarum Rex contineretur , cui præcessus , atque honorificus in fœdere locus relinquetur : Pontifex , quantas ille in bellum vires collaturus esset , decerneret , quæ supra fœderatas essent . Principibus vero Italîs , si in idem fœdus coire vellent , quotam quisque partem persolveret , cum Pontifex , declarasset , tantumdem reliquis pro portione decederet .

In id sedulo , atque enixe Pontifex incumberet , ut Poloniæ Regem , & alios Christianorum Principes eodem societatis jure vinciret .

Si qua inter fœderatos controversia suboriretur , de ea sententiam ferret .

Classis imperium , maritimorumque rerum cura penes Andream Auriam foret .

Si qua terrestris expeditio fieret , imperium apud Franciscum Mariam Feltrium , Urbini Ducem , resideret .

Hæc summa capitum fuit , quibus Romam transmissis , ad vi. idus februarii in Vaticano probatis , fœdus firmatum est ; ad stipulantibus pro Cæsare Joanne Manrico Anguillario ; pro Veneto Senatu Marco Antonio Contareno legatis , universo Cardinalium Collegio adsentiente . Scorsim de iis , quæ bello parta forent , decretum : *Quæ in fœderatorum alicujus potestate fuissent , statim illis traderentur : Byzantium , quæque ad imperium , sive ad regnum Neapolitanum loca spectarent , ea Cæsaris essent : iis , quæ olim a Venetis possessa fuerant , exceptis ; Au'lone , ac Neocastro adjectis : Rhodus Hierosolymitanæ religioni accederet : insignis aliqua regio , aut provincia in Apostolicæ Sedis jus concederet : reliquis in quibus nullum jus fœderatis fuisset , juxta impensa portionem , quisque potiretur .* Fœdere icto , ingens in Senatu de administrando bello sollicitudo ; ad Cæsarem statim in Hispaniam datæ literæ , quibus de inita societate certior fieret , petereturque , ut Andream Auriam Messanam , Antonium Auriam in Cretam profici sci juberet , ut conjunctis viribus cum nostris hosti ingruenti obsisterent , atque egregium aliquod facinus adversus Turcas aggrederentur . Ut in partem laborum , ac societatis Henricus Angliae Rex ascisceretur , enixe laboratum ; nihilque a Hieronymo Zuccato , a Republicæ secretis viro , prætermissum est , ut illum ad justa cum

Fœderati,
ut Angliae
Rex ad fœ-
dus ascis-
ceretur , ni-
tunatur .